

16500

DE
CHOLESTEARIA OCULI.



DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA DORPATENSI
AD GRADUM
DOCTORIS MEDICINÆ

RITE ADIPISCENDUM

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Carolus Hanke

Curonus.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUAE J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCCLII.

PATERNO AMICO SUO

J. D. SPECHT

Imprimatur

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis sperit excusa,
quinque ejus exempla tradantur collegio ad libros explorandos
constituto.

Dorpati Livon. die 14. mens. Novembris anni 1852.

Dr. Reichert,
ord. med. h. t. Decanus.

HOC OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

Auctor.

Absoluto examine riguroso, quum, ut Doctoris gradum adipiscerer, per gratiosum medicorum ordinem ad scribendam dissertationem inauguralem invitatus ad Professore[m] doctissimum *Adelmann* me contulissem, rogans eum ut auxilium in eligendo themate apto mihi non detrectaret, ille mihi proposuit ut tractandum mihi eligerem morbum, qui, praeceteris rarus, diligentia maxime dignus, et in clinico nostro a nobis observatus esset. Quam rem propositam eo libentius accepi, quum mihi tali modo occasio detur in publicum edendi casum, quem ipse observavi et qui exiguum numerum morborum ejus modi, qui adhuc cognitus est, suo loco amplificet.

In re mea tractanda hanc viam ingrediar:

- 1) Casum a nobis observatum describam;
- 2) Casus, qui usque ad hoc tempus observati et mihi noti sunt, respiciam;
- 3) Meam sententiam de natura causaque hujus morbi proferam.

Prius quam vero ad ipsam rem aggrediar lectores benevolos oro, ut benigne de libello meo judicent, atque id eo magis, quum juveni, qui modo Academiam reliquit, experientia et facultas deesse soleat, quae ad rem talem tractandam necessaria videntur. Denique non possum, quin

D17863

viro illustrissimo ac summe venerando Adelman gratias quam maximas publice agam, quippe qui quum per annos studiorum meorum, tum in elaborando hoc libello benevolentia et auxilio suo me adjuverit.

I.

Anna Anson, femina Esthonica viginti quinque annos nata, quae die VI mensis Octobris in clinicum nostrum venerat, ut visui paene amisso auxilium quaereret, recepta est. Aegrotata media statura, flavis capillis erat; satis valida constitutione esse videbatur. Oculi eadem magnitudine atque eodem colore, satis puram scleroticam, corneam omnino sanam, iridem caeruleam, immobilem, admodum contractam, itaque pupillam valde parvam habebant. In parte inferiore pupillae dextrae, omnino rotundae, animadvertebatur obscuratio subcana, annulo nigro circumdata, cujus margines radiatae atque distinctae erant; pupilla oculi sinistri, in formam trianguli distracta continebat „nonnulla corpuscula angulata, colore aeneo atque micantia, quae pro angulo, quo lux incidebat, colorem rubidum, splendentem accipiebant“, atque solutione atropini instillata clariora videbantur, quod attinet magnitudinem et formam. Majus horum corpusculorum, forma trianguli et, ubi maxime extendebatur, unam atque dimidiam lineae partem lata, in parte inferiore marginis pupillae conspiciebatur, in parte autem superiore atque exteriori complura corpuscula parva, quae omnia in capsula lentis sita esse videbantur. In utroque oculo, solutione atropini instillata, fila apparuerunt, quae a margine iridis pupillari ad anteriorem planitiem capsulae lentis se exten-

debant. Ex anamnesi comperimus, aegrotam, postquam jam prius rheumatismo vago laboravit, hieme praeterita imprimis vehementissimis capitis doloribus vexatam fuisse, qui etiam tunc interdum revertebantur; eo autem tempore in regione oculi sinistri locum suum obtinebant atque ibi, palpebra atque regione circa oculum valde intumescitibus octo fere dies manebant; tum vero dolor tumorque evanuerunt, visus autem hujus oculi fere omnino exstinctus erat. Eadem sorte paulo post dexter quoque aegrotae oculus affectus est, qui tali modo prorsus lumen amisit. Sinistro igitur tantum oculo paululum videbat, imprimis solutione atropini instillata, quod remedium jam prius apud eam adhibitum esse, atque tum sinistram iridem colorem viridem ostendisse audivimus — quae signa satis certo iridem rheumaticam adfuisse comprobaverunt. Postquam instillatio atropini per aliquot dies continuata est, ambae pupillae amplificatae sunt et dextera quoque in formam trianguli se distraxit. Uterque igitur oculus synechia posteriore laborabat, siquidem non adjuto quoque oculo, filamenta, quibus margo iridis pupillaris cum capsula lentis coaluerat, cognoscebantur. Si porro symptomata in dextro oculo: obscuracionem illam centram, distinctis radiatis marginibus insignem, anulum nigrum eam cingentem, qui umbra iridis reflexa appellatur, plenam denique caecitatem hujus oculi respicimus: dubitari non potest, quin hic cataracta capsularis adhaerens nobis se obtulerit.

Quod autem attinet mutationem sinistri oculi pathologicam, quae ab ophthalmologis Scintillatio, Synchysis sive Cholesteritis etc. appellatur, et quae praeter synechiam supra memoratam in corpusculis illis splendentibus conspicitur: ad eam explicandam, quoad fieri a me potest, postea

revertar, postquam in proximis observationes et sententias eorum ophthalmologorum attuli, qui similia corpuscula micantia observaverunt, et de natura eorum scripserunt.

De nostra autem aegrotā proli dolor nihil amplius referre possum, nisi instillationes solutionis atropini, quae eo consilio adhibebantur, ut amplificata pupilla adhaesiones supra memoratae quam maxime discernerentur, post aliquot tempus admodum exiguum successum habuisse, aegrotam autem ipsam, quae clinicum in nonnullas dies reliquerat, quibus praeterlapsis operationem cataractae instituere volumus, non rediisse neque amplius repertam esse.

II.

Parfait Landrau ¹⁾ apud dominum quendam senilem, qui myopia tantum laborabat, in camera posteriore corpuscula quaedam mobilia et splendentia observavit, quae bulbo moto e partibus ejus inferioribus surgebant, oculo autem quieto delabebantur, quod dum fiebat, aegrotus figuras sibi apparere querebatur, quae tanquam ante oculos se moverent, varias formas et colores acciperent atque visum impedirent. Quum corpuscula illa, in partes oculi inferiores delapsa, spectatori invisibilia facta essent, aegrotus quoque de molestis illis visionibus queri desinebat. Visio scotomatum cum illis corpusculis splendentibus objective visibilibus in posteriore oculi camera conjuncta erat.

A. Jacob ²⁾ in publicum edidit duos casus, ubi scin-

tillatio in camera oculi anteriore cataracta discissa apparuerat. In altero casu apud virum, ut apparet amauroticum, triginta tres annos natum, cataracta lentis colore electri occurrerat, cujus particulae nonnullae operatione in cameram oculi anteriorem pervenerant et quum evanuerant post aliquot hebdomades iris multis et parvis squamis, more metalli sive micae splendentibus, obtecta est, quae squamae locum suum obtinebant. In altero casu ³⁾, cataracta traumatica molli discissa, particulae quaedam in cameram oculi anteriorem jactae sunt et post unam hebdomadem partes reliquae cataractae, quae non absorptae erant, multitudini particularum splendentium micae similium submixtae animadversae sunt. Post quinque hebdomades pars quidem earum disparuit, reliquae tamen conspicuae erant et in camera oculi anteriore se movebant, postea autem hae quoque omnino evanuerunt. *Jacob* has particulas micantes concretamenta habet e calcarea et magnesia phosphatica composita atque eas a lente profectas esse contendit, referens, se aliquando in discissione cataractae, quae fere eandem speciem habuerit atque illa de qua in prima nostra observatione narravimus, inter particulas cataractae aliquot crystallos forma acuum tenuium observasse, qui, prout cataracta resorbatur, disparuissent; se cataractam capsulae traumaticam feliciter discidisse, cujus superficies more metalli splendisset atque cataractas tales splendentes, etsi non tam manifestum in modum, nequaquam tamen ita raras, semper vero admodum veteres esse.

1) *Annales d'Oculistique* 1828, t. XV. p. 171.

2) *Dublin med. Press.* 25. Jan. 1843 No. 212 et *Annales d'Oculistique* t. XXVI, p. 13.

3) *Dublin med. Press.* 11. Decbr. 1844 No. 310.

Desmarres 4) sub nomine „Synchysis étincelant“ casum in parte oculi inferiore describit, quem ipse admodum rarum esse dicit. Feminae duodesexaginta annos natae ante complures annos in utroque oculo cataracta viridis per depressionem remota erat, cataracta autem secundaria remanserat, quam *Desmarres* per scleroticam extraxit, Visus tali modo utriusque oculo restitutus erat; non ita multo post *Desmarres* in profundo oculi sinistri multa puncta micantia numero viginti-triginta et magnitudine arenulae animadvertit; more adamantis micabant, mobilia erant, imprimis si oculus cito movebatur, oculo autem quiescente delabebantur. Iris hujus oculi sicut alterius fluctuabat, in quo autem singularis illa micatio non observabatur; altera oculi camera nihil abnormitatis habebat et visus tam bonus erat quam cataracta discissa esse solet; nonnunquam tantum aegrotata de „scotomatibus“ querebatur.

Desmarres de hoc casu sententiam profert corpus vitreum hic molitum fuisse atque puncta illa micantia profecta esse ex fluctuatione cellularum hyaloidearum, quae liquefacto humore vitreo, tensionem normalem amisissent, quoniam lux in tali conditione corporis vitrei non frangeretur, sed reflecteretur.

Sichel 5) de origine micationis in corpore vitreo refert, se aliquando in dissectione cataractae, remota lentis capsula, quae flavo colore cum iride fere omnino coaluisset et angustam pupillam prorsus obstruxisset, flavum humorem in

anteriorē oculi cameram effusum vidisse, in quo humore multae lamellae more auri splendentes contentae fuissent. Hic humor in camera anteriore immobilis manere videbatur; in mediam autem partem a camera oculi posteriore clarus humor per intervalla infundebatur, quasi ex camera posteriore humor fervens in anteriorem pelleretur atque ex hac in illam regrederetur, quae res in quovis bulbi motu denuo observabatur. Tribus annis post *Sichel* in iride lineam albicanam invenit, in qua tum etiam corpuscula illa micantia conspicua erant. Quum simul hydrophthalmia adesset, *Sichel* arbitratur corpus vitreum in humorem flavum floccidum degeneratum, atque hos floccos corpuscula illa micantia fuisse.

Stout 6) de Synchysi illa scintillante, quam *Desmarres* observavit, refert atque formationem micarum cum lamellis splendens aureolis comparat, quae ascendentes et delabentes radios lucis dissipent, prout rotae earum, circa axim suam se vertentes, eam directionem acceperint, ut lucem incidentem ad spectatorem reflectant. — Microscopo examinavit oculos aegrotatae illius et persuasum sibi habebat micas mobiles re vera corpuscula in corpore vitreo esse, quae sicut parva prismata lucem et frangant et reflectant. Qua observatione nitens, opinionem, quam *Desmarres* protulit, causas adducens gravissimas, rejicit. Cum eo paulo post *Sichel* quoque consensit, statuens, splendorem et micationem corporis vitrei non ex illusionē optica, sed re vera ex corpusculis micantibus proficisci, quae formam habeant prismaticam et verisimiliter natura crystalli sint.

4) Journal de Chirurgie 1845 Novbr. p. 330 et Annales d'Oculistique t. XIV. p. 220.

5) Annales d'Oculistique t. XV. p. 167.

6) Annales d'Oculistique t. XVI. p. 74.

Bouisson 7) quoque a partibus eorum stat; contendens micationem proficisci ex particulis crystallinis, in substantia corporis vitrei sitis, cujus membrana deleta sit. In integro quoque corpore vitreo materiam adiposam se invenisse dicit, atque ex hoc sicut ex ea re, quod in cameris posterioribus oculorum caecorum crystalli cholestearini inventi sunt, colligit: illam substantiam adiposam in corpore vitreo vi quadam morbi formam crystalli accipere et mobilitatem in profundo oculi adipisci posse.

Desmarres 8) alterum casum Synchronism, quam scintillantem appellat, describit, ubi micatio in mollito corpore vitreo conspicua erat. Femina fuit triginta septem annos nata, quae cataracta laborabat. Qua discissa, cataracta capsulae secundaria remansit. At in pupilla et in cataracta lacunae ortae sunt, per quas in nigro fundo oculi posteriore micatio conspiciebatur, similis illi, quae in primo casu observata erat; iris autem hujus oculi non fluctuabat. Cataracta secundaria remota splendor et micatio in camera oculi posteriore per amplificatam pupillam multo clarius percipi poterat. *Desmarres* hanc visionem cum splendore stellarum in caelo obscuro, oculo autem se movente cum scintillis electricis comparat.

Robert 9) Academiae scientiarum Parisiis casum Synchronism scintillantem retulit, quam in femina fere septuagenaria observaverat. Oculus dexter mollito corpore vitreo laborabat; iris a parte anteriore ad posteriorem fluctuabat et

lens obscurata, ad parvum granum contracta, ab adhaesione separata et inserius delapsa erat. In pupilla pannus parvus semipellucidus erat, qui a capsula vel a membrana hyaloidea profectus esse videbatur. In corpore vitreo, pupilla per belladonnam amplificatâ, permulta puncta splendentia, admodum parva animadvertentur, quae se movente oculo eadem celeritate disperebant qua denuo apparebant. Opinioni, quam *Desmarres* protulit: micationem illam effectam esse mutatis cellulis membranae hyaloideae, quae lucem non frangant sed reflectant, *Robert* contradicit, atque sententiam latam a *Bouisson* probabilioris habet, micationem per cholestearinum effectam esse, quod, conjunctione cum reliquis partibus corporis vitrei soluta, crystallos formaverit.

Tavignot 10) cataracta capsulae lentis discissa, ex aperta capsula particulas splendentis et micantes in cameram oculi anteriorem intrantes vidit, quae non resorptione disperebant, sed inflammationem retinebant, atque idcirco postea extractae sunt. *Tavignot* opinatur, particulas illas ex apparatus lentis profectas et secretionem capsulae anormali effectas esse. Particulae extractae accuratius examinatae, cholestearino admodum similes se praebuerunt.

Hervier 11) ad casum Synchronism scintillantem adhuc cognitos novum, ut dicit, genus addit, ubi micatio et splendor in camera oculi anteriore conspicitur. Quam rem arte quoque effici posse contendit, si humori aqueo patellae in-

7) Comptes rend. de l'Academ. des Sc. T. XV.

8) Annales d'Oculistique t. XVIII. p. 23.

9) Annales d'Oculistique t. XXIII. p. 79.

10) Revue medico-chirurg. 1847 Août, et Const. Jahresbericht 1847. pag. 98.

11) Gaz. med. de Paris No. 46. 1849.

jecto crystalli cholestearini submiscuantur, qui moti micationem et splendorem similem efficiant atque in Synchysi scintillante conspiciatur. Itaque cum **Robert** et **Bouisson** consentit apparitiones illas tantum crystallisatione adipis corporis vitrei effectas esse.

Guépin¹²⁾ operationem describit cataractae flavae congenitae, in qua lente remota, dum acus in oculo infixus erat, micas aureolas splendentes animadvertit in massa flava; quae post lentem se collegerat, quarum nonnullae in cameram oculi anteriorem inciderunt. Hac massa quoque flava ab illo remota, in camera oculi posteriore lamellae splendentes, delabentes et surgentes animadversae sunt, quae vero visum post operationem non ita turbaverint et paulatim omnino disparuerint.

Gautier¹³⁾ casum refert qui in clinico domini **Petrequin** ab hoc tractabatur. Erat oculus viri cujusdam amauroticus, ubi cataracta traumatica spontaneo resorpta, micatio multarum particularum aureolarum observabatur, quae simul cum bulbo se movebant. Eodem tempore synechia posterior aderat et micatio in anteriore tantum oculi camera conspicua erat. Itaque **Gautier** et **Petrequin** persuasum sibi habent, sedem micationis in humore aqueo esse.

Blasius¹⁴⁾ micationem et splendorem pupillae inter multa milia ophthalmiarum semel tantum sibi occurrisse scribit, et quidem in viro, cujus oculus sinister jam dudum caecus fuisset, dexter vero non ita diu amblyopia amauro-

tica laborasset. Pupilla illius oculi torpida et in margine exteriori parvo exsudato obstructa erat. Partes inferiores normali colore nigro erant, in quo multitudo parvarum stellarum micantium animadvertebatur, quae bulbo moto quasi bullulae in fervente vino Campanensi surgebant. Hae particulae aperte locum habebant post iridem a parte anteriore ad posteriorem fluctuantem, quum, si oculus aut a parte superiore aut a latere observabatur, optime animadvertentur. — **Blasius** dicit hanc apparitionem sibi in memoriam revocasse hydrocelem, si humor ejus multum cholestearini contineat, et secundum ejus sententiam hic quoque et quidem in capsula lentis hydropica, hoc est in humore Morgagni extramodum secreto, cholestearinum se formavit; micationem non in humore aqueo nec in corpore vitreo fuisse, apertum erat; itaque **Blasius** rejicit opinionem: micationem semper in corpore vitreo sedem habere simulque nomen Synchysis scintillantis repudiat, quia diagnosis Synchysis ab iridodonesi, quae plerumque eodem tempore observetur, statuere falsum sit, nam solum ex iridodonesi cum conspicua bulbi mollitie Synchysin colligi posse dicit, cujus mollitiei autem vix vestigium in casibus memoratis adfuisse. Confirmat **Blasius** sententiam suam observationibus microscopicis lentium cataracta affectarum, ubi cholestearinum in parte capsulae exteriori, sicut intra eam saepe animadversum est, atque id praecipue in exsudatis, quae via inflammationis orta erant, splendorem autem et micationem fere semper observatam esse, ubi alia exsudata comprobassent inflammationem adfuisse. — Sub finem commentationis **Blasius** quaestionem profert, sitne species matricis quae in cataractis capsulae observatur, in eo posita,

12) Annales d'Oculistique t. XIX. p. 117.

13) Annales d'Oculistique t. XX. p. 69.

14) Deutsche Klinik, herausgegeben v. Göschen. No. I. 1849.

quod cholestearinum aliis exsudatis in capsula se adhaeserit. *A. G.*¹⁵⁾ casum refert Synchysis scintillantis in puella quae ophthalmiâ scrophulosa utroque oculo capta erat. Bulbi ex orbita eminebant et corneae ovatae densatae, in parte superiore pellucidae exsudata plastica et maculas melanoticas ostendebant. In pupilla nonnunquam animadvertebantur corpuscula vivide splendentia, surgentia et delabentia; in sinistra vero pupilla nihil ejusmodi conspiciebatur. Utraque pupilla torpida et iridodonesi affecta erat. Ex diagnosi *A. G.* atrophia interiorum oculi partium, conditio corporis vitrei hydropica atque exsudatum serosum aut plasticum in choroidea vel inter hanc et scleroticam aderant. Aegrotata ex tuberculosi mortua est et per sectionem haec reperta sunt: Bulbi resistentes et magni erant, choroidea et sclerotica partim coaluerant, partim densatae erant; quibus in locis densatis inter choroideam et scleroticam humor repertus est permultos cholestearini crystallos continens: inter choroideam et retinam lamellae osseae et exsudatum plasticum aderant. Ex retina discissa humor effusus est, cui multi crystalli cholestearini submixti erant. Corporis vitrei rudimentum tantum repertum est, iris cum capsula coaluerat, lens normalis. Quibus ex rebus *A. G.* collegit malum fuisse inflammationem choroideae, quae in partibus interioribus et exterioribus exsudata progenuerat, cum crystalli cholestearini conjuncta, quorum ea solum, quae in corpore vitreo erant, in puella viva conspiciebantur. Itaque *A. G.* censet dubitari non posse quin micatio et splendor oculi

proficiscatur ex crystalli cholestearini; opinionem quam *Desmarres* protulit de ocellis fluctuantibus in corpore vitreo prorsus falsam esse arbitratur; litem autem de sede apparitionis hujus per observationes cadaverum et explorationes microscopicas facile dijudicandam esse; nam saepe in oculis mortuorum in sacco choroideae se invenisse magnam vim exsudatorum, in quibus multum cholestearini fuisset; id tamen tum solum sibi occurrere, si inflammatio choroideae antecesserat et exsudati ossificatio vel inceperat vel jam perfecta erat. Cholestearinum invenit, quum post inflammationem acutam, ubi per magnum exsudatum in sacco choroideae retina et corpus vitreum in minimum reducta et totus oculus compressus atrophicus factus erat, tum post inflammationem chronicam, ubi bulbus ceterum normalis aut hypertrophicus inveniebatur. Exsudata ita inter scleroticam et choroideam aut inter hanc et retinam aderant, itaque in hominibus viventibus conspici non poterant. Si corpus vitreum consistentia normali erat, in eo nunquam cholestearinum invenit, sin autem exsudato illo orto, retinam dissolutam aut repulsam, corpus vitreum mollium vel alio modo mutatum erat, semper crystalli illi cholestearini in eo inventi sunt, et *A. G.* putat in his casibus, si modo diligentius observatum esset, micationem in viventibus quoque conspectam fuisse. Nunquam autem in ipsa lente, sed aliquoties circa eam cholestearinum se invenisse dicit. Qua ex re nomen Synchysis scintillantis a Franco-gallis usurpatum aptissimum ei videtur, nam secundum eum crystalli cholestearini ex exsudato choroideae formati sunt, illos autem tum tantum micationem efficere posse contendit, si corpus vitreum immollium sit et crystalli in eo faciliter moveri

15) Med. Zeitung des V. f. Heilkunde in Preussen 1849. No. 52, et: Canst. Jahresbericht 1849. p. 140.

possint. Sententiam *Blasii*, ex iridodonesi tum tantum Synchronism colligendam esse, si mollities bulbi adsit, rejicit; nam si exsudatum choroideae ossificatum sit, iridodonesin cum consistentia admodum aucta inveniri posse; per se autem formationem cholestearini nullo modo cum liquefactione corporis vitrei cohaerere *A. G.* contendit, quum haec ex inflammatione choroideae proficiscatur. Visum impeditum et iridem immobilem se ubique effectus remotiores inflammationis choroideae invenisse.

*Blasius*¹⁶⁾ huic commentationi *A. G.* respondit, crystallos cholestearini intra capsulam non solum ab ipso, sed etiam ab aliis observatos esse et in explorationes anatomico-microscopicas Ruetel sicut in observationes *Tavignot* relegat, neque dubitat quin micatio in corpore quoque vitreo sedem habeat, in aliis autem casibus crystallos cholestearini manifestim intra capsulam lentis hydropicam se movere docet; in ipsa lentis substantia hos crystallos juvepiri, se non contendisse. Denuo nomen „Synchronism scintillantis“ repudiat, quia ex iridodonesi, quae plerumque eodem tempore observata sit, Synchronism colligi non possit; quae illa multo saepius occurrat. In Synchronism corpus vitreum emolliatum quidem esse, hoc autem et non praesente Synchronism esse posse. Talem mollitiem sive liquefactionem corporis vitrei omnino necessariam esse, ut crystalli cholestearini in eo se movere possint, non vero Synchronism adesse oportere; et si crystalli cholestearini in capsula lentis se moveant, corpus vitreum posse normale esse.

16) Med. Zeitung des V. f. Heilkunde in Preussen. No. 5. 1850, et: Canst. Jahresbericht. 1850. p. 142.

*Guensburg*¹⁷⁾ in publicum edidit casum minus accurate descriptum sub nomine Synchronism cum hydrope camerae anterioris et iridodonesi. Fuit in viro sexaginta quinque annos nato, cujus sclerotica oculi sinistri inflammata, pupilla deminuta et iris in segmento inferiore forma sacci progressa erat; continuo fluctuabat, quo in motu corpuscula splendentia per pupillam surgebant (in anteriore oculi camera?). Visus paene omnino extinctus erat et aegrotus in luce incerta apparitionem habuit corporis nigri magnitudine pisi, quod interdum formam coloremque mutabat et perpetuo se movebat. Jam prius *Guensburg* crystallos cholestearini in oculo et quidem in zonula *Zinnii* et in anteriore lentis capsula invenit, ac denique monet apparitiones subjectivas coincidisce cum secretione cholestearini in exsudato capsulae anterioris.

*Fischer*¹⁸⁾ tractabat virum undequinquaginta annos natum, cujus alter oculus ita se habebat: Sclerotica inflammata, cornea punctis distincta, pupilla admodum angusta, iris autem normali colore erat; simul vehemens dacryorhysis aderat. Aegrotus de doloribus querebatur, lucem fugiebat et lumen amiserat. Observabatur exsudatum plasticum dimidiam lineae partem latum, continens sufflava granula, quae inflexo capite locum suum obtinebant atque initio in anteriore oculi camera esse videbantur, sed quum cura antiphlogistica inflammatio remota esset, multitudo punctorum micantium varia magnitudine in cornea animadversa est; more metalli splendebant et sedes eorum in substantia cor-

17) Deutsche Klinik 1850. No. 8, 23. Febr.

18) Deutsche Klinik 1850. No. 17, 27. April.

neae conspicua erat, in qua exsudatum flavum, dimidiam fere lineae partem latum erat. Hae micæ splendentes in quovis bulbi motu diffugiebant et super totam corneam se dissipabant. Obscuratio quoque lentis sufflava observabatur, scintillatio autem in pupilla non animadvertebatur. Secundum *Fischeri* opinionem exsudatum sufflavum in cornea secretum erat ex humore qui inter lamellas corneae se collegerat, et micæ in hoc humore crystalli cholestearini libere suspensi erant. *Fischer* hanc micationem in aegroto per microscopum observabat et coelum astris distinctum conspiciere sibi videbatur, adeo multae, clarae et fulgentes micæ colore splendentis auri apparebant.

*Sichel*¹⁹⁾ describit casum Synchysis scintillantis in viro debili undetriginta annos nato. Nystagmus utriusque oculi aderat et pupilla sinistri oculi amaurotici, cuius iris normalis erat, multitudine sufflavarum lamellarum splendentium fere omnino obstructa erat. In tribus variis cumulis („couches“) jacebant, et partim more argenti splendebant, partim auro similes erant, varia magnitudine; in supremo tantum cumulo tam laxè inter se cohaerebant, ut in vehementi bulbi motu se moverent atque ex parte in anteriorem quoque oculi cameram intrarent.

Quum haec massae ut corpus alienum oculum irritarent atque ejus inflammationem sustinerent, a *Sichel* remotae et patella vitrea exceptae sunt; unus ex his cumulis iridi tam arcte adhaerebat, ut per parvam forcipem amovendus esset. Lamellae, patella exceptae in humore aqueo natantes eun-

dem splendorem quem in oculo ostendebant, in certa tamen luce magis similes erant olei particulis in aqua natantibus. Et post operationem in anteriore oculi camera multa corpuscula sicut aurum splendentia se ostendebant, quae capsulae anteriori adhaerere videbantur. Corpuscula in hac operatione excepta a Doctore *Lebert* analysi chemicæ et microscopicae subjecta sunt; ille vir dicit, ea in aethere et alcoholo fervente soluta esse, corpuscula libere natantia in singulis crystallis forma rhombica constituisse, itaque crystallos cholestearini fuisse, qui admodum multi albuminatis conjuncti majora ista corpora flava formassent. *Sichel* pergit: secundum suam sententiam dubitari non posse, quin hæc apparitio re vera a corporibus, et quidem a crystallis cholestearini profecta sit; aliter autem rem se habere, quod sedem eorum attingat. Postquam casus ipsi cognitos enumeravit, ostendere studet, corpuscula semper in camera oculi posteriore se evoluisse et quidem plerumque in corpore hyalideo, quod secundum *Bouisson* jam in normali statu pinguem materiam contineat. Sed concedit, ea omnino ubique in oculo formari posse, ubi membrana serosa adsit, atque adeo in epithelio incipere posse, itaque opinionem *Blasii* oppugnat, a quo crystallos cholestearini tantum intra capsulam poni dicit. Simul *Sichel* proponit ut nomen „Synchysis scintillantis“ permutetur nomine „Spintheropiae“ ($\sigma\pi\theta\eta\rho\pi\acute{\alpha}$ et $\alpha\psi$), quam dismixtio corporis vitrei non necessaria conditio sit nostri morbi; tum casus ipsi notos secundum apparitionem in duo genera et quatuor species hoc modo dividit:

I. Spintheropia perfecta sive completa — vera,

19) Annales d'Oculistique t. 24, p. 49.

ubi apparitio illa corporum micantium efficitur micis mobilibus, quae evanescere et denuo apparere possunt.

- 1) Spinthropia completa posterior: micas in posteriore tantum camera apparent, sive in fundo oculi sive in planitie pupillae;
- 2) Spinthropia antero-posterior: micas eodem tempore in anteriore et posteriore oculi camera apparent, aut ex altera in alteram transeunt;
- 3) Spinthropia anterior: micas solum in camera oculi anteriore se ostendunt.

II. Spinthropia incompleta seu Pseudospinthropia:

- 1) Corpuscula splendentia per aliquam peripheriae partem adhaerent loco cuidam oculi interioris, eum nunquam deserunt et idcirco nunquam omnino disparent;
- 2) Spinthropia corneae: corpuscula splendentia intra lamellas corneae sita sunt.

*Malgaigne*²⁰⁾ loco hujus divisionis in Spinthropiam completam et incompletam statuere vult: Spinthropiam „fixam et mobilem“, cui *Sichel* non contradicit, quum tali discrimine quaestio, in utro genere malum magis explicatum sit, nequaquam praecipitur.

*Backer*²¹⁾ sub nomine Synchrony scintillantem casum refert, quem in viro undetriginta annos nato observavit: in utroque oculo post ipsam pupillam obscuratio sufflava animadvertatur, quae bulbo moto contremiscebat. In hac

obscuratio nigra corpora diversa magnitudine se ostendebant, quae singulis partibus margini iridis pupillari adhaerebant. Cataracta per depressionem remota est, quo facto tamen dextri oculi lens surrexit, sufflava, singulis punctis nigris distincta; iris subviridis erat. In camera oculi posteriore animadvertatur multitudo corpusculorum triangulorum, quae ex camera oculi anteriore ad posteriorem sursum ac deorsum se movebant, et pro radiis lucis incidentibus opalisabant, incidente autem solis luce ut granula auri splendebant vel in colores arcus pluvii exhibant. Quae quum cornea incisa cum humore aqueo effluente patella vitrea excepta et per microscopum explorata essent, crystalli cholestearini rhombici cogniti sunt. In camera oculi anteriore post nonnullos dies eadem multitudo corpusculorum conspiciebatur atque antea, quae aegroti, qui tantum diem a nocte discernere poterat, interdiu apparitionem multorum corpusculorum alborum, triangulorum, vel obscuriorum, vel clariorum; ante oculos obversantium efficiebant. *Backer* censet, hos crystallos cholestearini formatos esse ex adipe in corpore vitreo soluta et libere distributa. Nomen „Synchysis“ ei non omnibus casibus hujus modi aptum esse videtur; nam talem Synchrony, quae jam presso bulbo cognosci possit, non ubique neque in suo casu animadvertam esse dicit.

Alium casum, quem Scintillationem pupillae appellat Dr. *Froebelius* Petropoli describit²²⁾. Oculus sinister viri quadraginta annos nati ex inflammatione, per flagelli ictum

20) Annales d'Oculistique t. XXV. p. 10.

21) *Schmidt's Jahrbücher* B. 70. p. 105, et: *Canst. Jahresbericht* 1851. pag. 129.

22) *Med. Zeitung-Russland's* 1851. p. 21.

provocata, lumen omnino amisit. Quinque annis post *Froebelius* hunc oculum, quod attinebat magnitudinem et consistentiam, nullo modo ab altero se differre vidit; cornea pellucida erat, iris autem tota evanuerat, et in fundo camerae anterioris lens jacebat splendens, colore auri, a processu ciliari et a capsula dissoluta, ex parte tantum adhaerens, cujus lentis superficies iniqua, porosa spongiacque similis erat. Inter hanc et corneam massa sita erat rubida, extravasato sanguinis coagulato similis, quae fortasse iridem dissolutam continebat. Praeterea totum spatium post corneam impletum erat permultis micis auro similibus, circumnatantibus, quarum multitudo membranae Descemetii adhaerebat et superficiem lentis obtegebat, ita ut haec quasi aureis crystallis obsita appareret. Dr. *Froebelius* ex hac re colligit, micas neque in corpore vitreo, quod normale fuisset, nec ex capsula lentis, quae jam dudum defuisset, originem duxisse, sed statuit lentem se mutasse in lentem adiposam, ex qua crystalli cholestearini se formassent; id quod ipsi eo verisimilius videtur, quum crystalli cholestearini eundem colorem quem lens habuissent et densissime in regione lentis fuissent. Colorem flavum *Froebelius* a pigmento bilis secreto ortum esse putat.

*Schisquet*²³⁾ casum retulit, ubi in puero undecim annorum ophthalmia praegressa pupilla paululum se distraxerat et synechia anterior se obtulerat, simul autem lamella mobilis, unionum conchae similis, dimidiam lineae partem magna, conspicue anteriori capsulae margini adhaerebat.

23) Med. Zeitung des V. F. Heilwunde in Freussen: 1850. No. 51.

*Desmarres*²⁴⁾ duos novos casus narrat, qui nihil nisi simplex relatio duarum observationum Synchronis scintillantibus sunt.

*Voss*²⁵⁾ paucis verbis aegrotum describit, amblyopia laborantem. Per pupillam belladonna amplificatam in interiore et posteriore parte oculi sinistri corpus splendens et mobile, magnitudine piscis squamae conspiciēbatur, super quo corpus illi simile, multo tamen minus se ostendebat. *Voss* haec corpora concreciones in corpore vitreo aut materiam organicam depositam, dyscrasia provocatam habet, neque tamen audet hunc casum ponere in ordine morborum, qui „Synchronis scintillans“ appellantur.

*Chassaignac*²⁶⁾ casum Synchronis scintillantibus observavit in viro viginti septem annos nato, cujus oculus dexter jam quinto aetatis anno traumatico laesus erat, tum pupilla obliteratione apparuit, qua camera oculi anterior a posteriore plane separata est. Oculus paululum atrophicus; normalis autem consistentia neque iridodonesi affectus erat. In camera oculi anteriore permulta corpuscula splendentia varia magnitudine conspiciēbantur; similia erant lamellis metallicis, colore aureo et partim ad iridem, partim ad corneam sita erant, locum tamen mutabant. In superficie corneae exteriore inter hanc et conjunctivam micae quoque apparuisse referuntur.

Chassaignac contendit ad theorias labefactandas hunc casum sufficere, secundum quas corpuscula micantia sola

24) Gazette des hôpitaux 1850. No. 108.

25) Annales d'Oculistique t. XXIV. p. 269.

26) Gazette des hôpitaux 1851, 27. Jan.

in camera oculi posteriore formentur, nam communicatio ambarum oculi camerarum jam diutius sublata sit, ita ut non statui possit corpuscula, principio in camera oculi posteriore formata ante obliterationem pupillae inde in cameram anteriorem transiisse; loco Synchronis scintillantibus nomen „Cholesteriae“ proponit quam dividere vult in „liberam“ et „adhaerentem“ divisionem autem in mobilem et immobilem repudiat, quia mobilitas admodum diversa possit esse.

Seidl ²⁷⁾ hos casus, Parisiis ab ipso observatos refert. *Desmarres* in femina sexaginta duorum annorum cataractam reclinavit, quo facto choroiditis et concreta exsudati apparuerant. Tribus mensibus post *Seidl* apud feminam in pupilla amplificata animadvertit tres vel quatuor crystallos micantes, qui bulbo moto sursum ac deorsum se movebant. Consistentia oculi satis normalis fuit; aegrotata autem solum corpora majora videre poterat. Porro *Sichel* ²⁸⁾ feminae quinquaginta sex annorum cataractam extraxit, quae lurida videbatur et cujus peripheria singulis punctis flavis et splendentibus obsita erat. *Seidl* et *Lebert* hanc cataractam microscopice explorarunt et cognoverunt interiores lentis partes substantia granulosa calcarea consistere, quum partes molliores lentis adipem liberam, granulosa cum multis crystallis cholestearini continerent.

Sichel ²⁹⁾ in viro quadraginta quinque annorum tumorem evacuavit, qui magnitudine nucis avellanae inter fibras scleroticae incarceratus erat. Qui tumor secundum explo-

rationem microscopicam lentem obscuratam cum multis crystallis cholestearini continebat. Camera hujus oculi anterior angusta erat, iris distracta, immobilis, pupilla amplificata, et tumor luce transeunte multas squamulas splendentes, sursum ac deorsum se moventes ostendebat.

Vindobonae quoque *Seidl* in operatione cataractae multos crystallos ejusmodi evacuatos vidit.

Sichel ³⁰⁾ nuper in clinico suo in homine amaurotico casum observavit, ubi Spintheropia anterior aperte ex ophthalmia interna post operationem cataractae orta erat. In camera oculi anteriore ante iridem atque ei adhaerens corpus oblongum conspiciebatur, colore auri et splendore metalli, ex multis lamellis splendentibus et inter se conjunctis compositum, quod multitudine corpusculorum splendentium circumdatum erat. Post exiguum tempus, cura antiphlogistica adhibita, haec corpuscula multo mobilia facta sunt, pars autem eorum ex camera oculi posteriore in anteriorem intravit. *Sichel* sibi persuasum habet, omnia illa in camera posteriore orta esse, opinionem vero profert, omnes oculi membranas cholestearinum discernere et sedem Spintheropiae esse, itaque hanc primitive in anteriore oculi camera occurrere posse. In casu autem supra memorato, quem *Chassaignac* observavit, se apud eundem aegrotum in iride lacunam reperisse contendit, per quam corpuscula micantia ex posteriore oculi camera in anteriorem pervenerint, quae tamen lacuna secundum *Chassaignac* accurata exploratione instituta, nihil nisi pigmenti cumulus fuit.

27) *Schmidt's Jahrbücher*. Bd. 75.

28) loc. cit.

29) loc. cit.

30) *Annales d'Oculistique* t. XXVI. p. 10.

Blasius 31) virum quadraginta quinque annorum tractavit, cujus oculus sinister jam viginti duobus annis ab hinc per laesionem traumaticam lumen amiserat. Oculus ostendebat sufflavam cataractam, aut exsudatis lymphaticis circumdatam, pupilla amplificata irregularis, torpida, iris discolor erat. Tunc ophthalmia acuta accesserat; ex qua ulcus corneae ortum erat; in hoc, quod admodum se extenderat et membranam perforaverat, cataracta margine inferiore intravit. **Blasius** per forcipulam removit cataractam; post ejus sedem apparuit lamella quaedam, qua prolapsus corporis vitrei impediabatur. Cataracta durissima erat et secundum explorationem microscopicam in massa calcarea; crystallis cholestearini et albuminatis consistebat. **Blasius** nomen „Spintheropiae“, quod **Sichel** accepit, nomine „Spintherommatis“ permutare vult, et novae suae observationi brevem conspectum casuum, ipsi adhuc notorum adjicit, qua in re monet sedem apparitionis nostrae diversam esse; ne in tertia quidem parte observationum sedem micationis in corpore vitreo fuisse, inter viginti quatuor casus undecies micationem verisimile ex lente profectam; in novem autem casibus humorem aqueum sedem micationis appellatum esse. Porro premit in dimidia saltem parte casuum descriptorum visum paene omnino extinctum fuisse, quod etiam ibi occurrisset ubi media pellucida non obscurate fuissent, qua ex re simul malum retinae colligi possit. — Censet tamen **Blasius** falsum esse, si ex malo profundiorum bulbi partium colligatur, formationem quoque cholestearini in his partibus originem capere, sed lumen amissum esse ex malo, quod

omnes oculi partes una corripuisset, aut ex malo partis oculi, quod cum malo alius partis se conjungere amet, sicut in choroidea et iride fieri solet. Sic in viginti quatuor casibus duodevicies vitia iridis observata esse dicit.

III.

Ex observationibus supra relatis illucet, casum, quem initio descripsimus ad Cholesteariam, quam appellant, Scintillationem vel Spintheropiam etc. referendum esse, et ut divisionem formarum morbi, quam **Sichel**, **Malgaigne** aut **Chassaignac** proposuit, sequamur, in nostro caso Spintheropiam incompletam, Spintheropiam fixam aut Cholesteriam adhaerentem statuere debeamus. Quam aegrotam nostram, ut jam supra narravimus, operationem effugisset, diligens corpusculorum micantium exploratio, a nobis spectata, institui non poterat; simul dolemus, quod nobis tam temporis nondum ad manus fuit oculi speculum, a **Ruete** constructum, quod examinationem cholestearini in oculo ipso nobis permisisset. At secundum apparitionem initio a nobis descriptam; ex analogia explorationum praegressarum; et illa corpuscula micantia, quae nos observavimus, sine dubio in cholestearino constituisse censemus.

Nos quidem titulum Cholesteariae oculi elegimus, quia hoc nomen, quo primum **Chassaignac** usus est, nobis aptissimum videbatur; nam nomen Synchysis scintillantibus plerique ophthalmologi, atque ipse **Sichel** repudiaverunt, quia mollities corporis vitrei non necessaria conditio status de quo hic agitur, videbatur; praeterea notio Synchysis nondum satis accurate constituta est, quum ea variae morbi apparitiones intelligantur; nam ut exemplum afferamus, mollities

31) Deutsche Klinik 1852: No. 17.

corporis vitrei aquosa certe differenda erit a mutatione ejus per varia exsudata, fortasse jam ossificata. Ceterum singuli cujusque est sub nomine Synchronia sibi quod velit cogitare; nam haec Synchronia (a σύν et χύω) simpliciter mixtionem significat. Nomen Spinteropiae, quod *Sichel* postea usurpavit, et ipsum non commode electum est; nam ut *Winter*³²⁾ recte notavit, ex derivatione a σπινθήρ et ὄψις (rectius videtur ὄψις = facultas videndi) Spinteropsia appellanda erat; porro nomina tali modo composita, semper apparitiones subjectivas (quia ὄψις = visus) ut Chromatopsia, Photopsia etc. significant; hae apparitiones subjectivae autem, ut vidimus, in nonnullis tantum casibus morbi nostri observatae sunt. Nomini Scintillationis pupillae aut melius Scintillationis oculi, quod *Blasius* proposuit, quod attinet objectivam apparitionem corporum splendentium, omnino nihil objiciendum est; quum tamen natura nostri morbi in seposito cholestearino conspiciatur, quod vero non semper necessarie splendet, aut ita adesse potest, ut oculo observatoris subducatur; exempli gratia si post iridem atque ea tectum est: tunc formam quoque morbi haberemus, quae Scintillatio oculi appellanda esset, non praesente tamen aut certe non conspicua Scintillatione. Nomen vero a *Chassaignac* electum naturam morbi significat, non respiciens symptomata subjectiva aut objectiva quae, ut diximus, ea ratione quam nomen Scintillationis postulat, abesse possunt. — Divisio a *Chassaignac* correctae in Cholesteriam liberam et adhaerentem, mihi maxime probanda videbatur, quamquam haec

varietas apparitionis, ut statim cognoscemus, nobis solum a tempore, per quod malum perduraverit, pendere videtur.

De crebritate hujus morbi, sententiam tantum admodum relativam ferre possumus; nam etsi triginta solum casus, a me relati, in publicum editi sunt, *Jacob* tamen, *A. G.* et alii jam prius similes apparitiones observaverunt, et quidem, ut *Jacob* dicit, nequaquam raro.

Neque certae aetati aut sexui hic morbus exclusive proprius videtur esse; nam ex relationibus hac de re non ita completis elucet, inter undeviginti aegrotos tredecim minus, sex plus quam quinquaginta annos habuisse; in his duo infantes erant; porro quoad sexus relatus est, inter viginti unum aegrotum octo feminae, tredecim viri Cholestearia affecti erant.

Quod attinet sedem apparitionis nostrae eam admodum variam esse cognovimus. Crystalli cholestearini inventi sunt inter conjunctivam et scleroticam, inter hanc et choroideam, inter choroideam et retinam, intra corpus vitreum, in corpore ciliari, apud iridem, capsulae extra adhaerentes, sicut in humore Morgogni, intra lentem, in humore aqueo, inter lamellas corneae etc., ut paucis dicam: in omnibus bulbi partibus.

Quae quum ita sint, quaestio illa nondum soluta est, in quanam parte atque quibus ex partibus bulbi cholestearium se formet. Nam si hoc mobile erat, locum suum primitivum, ubi ortum erat, deserere et tum primum conspicuum fieri poterat, quum ad ea loca bulbi pervenerat, quae observatori conspicua erant. Sic exempli gratia *Sichel* putavit crystallos cholestearini in omnibus casibus observatis se formasse in profundioribus bulbi partibus, atque, ubi in

32) *Schmidt's Jahrbücher*, Bd. 70.

camera anteriore conspicui fuissent, postea tantum per pupillam eo pervenisse; sic in extremis quoque casibus, quamquam concedit micæ in omnibus oculi partibus formari posse, semper studuit, originem micarum ex profundis oculi partibus deducere. *Blasius* contra censet formationem cholestearini originem suam plerumque ex systemate lentis cepisse, attamen jam in prima commentatione de Scintillatione oculi concedit, cholestearinum et in corpore vitreo formari posse. Inter utrumque auctorem tum lis orta est, cui reliqui observatores se adjunxerunt, partim opinionem *Blasii*, partim *Sichelii* sequentes. *Blasius* autem et *Sichel* ab ipso principio certam sententiam de loco, ubi cholestearinum se formaverit, nequaquam protulerunt, nihilominus ab utroque contra hanc certam sententiam dimicatum est³³⁾. *Sichel* propterea formationem cholestearini ex corpore vitreo profectam esse contendere vult, quia *Bouisson*³⁴⁾, ut dicit³⁵⁾; in normali quoque corpore vitreo substantiam adiposam invenerit, quae in statum crystallisationis perducta, apparitionem illam proferat. A partibus ejus stant *Robert*, *Hervier* et *Backer*. Corpus vero vitreum adipem non continet; nam secundum explorationes chemicas *Millonii*³⁶⁾, quas *Woehler*³⁷⁾ confirmavit, humor vitreus in centum partibus continet:

Aquae 98,37

33) Annales d'Oculistique t. 24. p. 154. — Deutsche Klinik 1852. No. 17.

34) Annales d'Oculistique t. 24. p. 155.

35) Compt. rend. de l'Academ. des sc. t. XV.

36) Compt. rend. de l'Academ. des sc. t. XXVI. p. 121.

37) *Etbig's Annalen der Chemie* t. 66. p. 128.

Ureae + Salium 4,63, et quidem
Ureae 0,33—0,53
Natrii chlorati etc. 1,30—1,40.

Haec hypothesis igitur accipi non potest, etsi omnino in bulbo affecto magna vis adipis inventa est, quae tamen non appellanda est auctio adipis normalis in corpore vitreo, sed cujus origo verisimile quaerenda est in metamorphosi regressiva corpusculorum sanguinis extravasatis praegressis, quum in tali metamorphosi secundum observationes *Virchowii*, quod cellulis continetur, in adipem vertatur.

Apparitionem cholestearini in oculo equidem hoc modo explico: secundum accuratam sanguinis analysin, a *Bequerel* et *Rodier*³⁸⁾ institutam, cholestearinum normalis sanguinis pars est, quae omnino admodum exigua inter 0,025 et 0,200 p. m. reperitur, in omnibus tamen inflammationibus valde augetur. Quum igitur cognoverimus in omnibus casibus Cholesteariae vel vehementem inflammationem vel laesionem traumaticam antecessisse: extravasato resorpto cholestearinum relictum eo explicandum esse puto, quod cholestearino in extravasata conditiones resorptionis non datae sunt, quum hoc in humoribus aquosis et alcalinis (sicut in oculo) non solvatur; dum reliqua adeps in saponem verti et resorberi potest, cholestearinum, quod talem processum non intrare constat, relinquatur.

Quo plenius tum reliqua exsudata, ut albuminata etc. resorbentur, eo purius cholestearinum remanet, eo magis conspicuum est, singulares illos crystallos format ac si

38) *Gaz. med.* 1844. No. 47. p. 751.

denique ultima adhaesio disparuit, qua fortasse alicui parti bulbi adjuncta erat (Cholestearia adhaerens): crystallos libere se moventes habemus, qui verisimile a pigmentis sanguinis splendorem auri accipiunt (Cholestearia mobilis, libera). In qua forma cholestearinum primitive in plasmate aut in corpusculis sanguinis adsit, nobis ignotum est:

Qua ex re necessarium esset, ut in omnibus bulbi partibus, ubi substantiae mutatio et inflammatio apparere potest, cholestearinum residuum reperiretur, et quidem maxime in illis partibus, ubi plurima vasa (choroidea et iris) adsunt.

Quod attinet ad therapiam, haec, quotiescunque adhibebatur, in remotione cholestearini per operationem consistebat, id quod, unicum esse remedium censemus, si omnino auxilium afferri potest. Nam alcohol fervens aut aether, quibus solis cholestearinum solvitur, oculo illati, profecto plus perniciei quam utilitatis afferrent. At operatio quoque, quae ut cholestearinum ex oculo removeatur, in incisione corneae consistit, in certis tantum casibus indicata est, et quidem: visu jam extincto, ibi tantum, ubi cholestearinum in bulbo per irritationem sustinet inflammationem; visu autem nondum extincto, praeterea in eis casibus, ubi radii lucis per corpora cholestearini non pellucida ad retinam pervenire non possunt, itaque imagines objectorum in ea turbatae aut impeditae sunt.

T H E S E S.

Censeo:

1. *Balnea crebra optimum prophylacticum contra Choleram esse.*
 2. *Choleram non nisi per infectionem contagiosam esse.*
 3. *Opium, cum plumbo acetico conjunctum, remedium rejiciendum esse.*
 4. *Ulcerata syphilitica, quamdiu non ad sanationem vergantur, cauterisanda esse.*
 5. *Gonorrhoeam non esse morbum contagiosum.*
 6. *Cunabula apud infantes non adhibenda esse.*
-